



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

283. An Episcopus in decreto illo Tridentini de filiis presbyterorum dispensare possit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

erem & filium Vicarius ille post parentem mortuus. AA. *idem ibid.* Secundo ut nomine beneficii veniat etiam Vicaria vel commendata perpetua, non verò temporalis. *cit. c. constitutus, Gl. in c. ad extirp. Sanch. loc. cit. n. 6.* Rebuff. *in praxi. de disp. super natal. n. 21.* Barb. *ad c. constitutus. n. 2.* ita ut filius obtinere nequeat Vicariam vel commendam perpetuam illius Ecclesie, cujus parens immediatè ante fuit Parochus aut Rector principalis. *c. Michael. vel etiam, cujus parens immediatè ante fuit Vicarius perpetuus, aut quam habuit in commendam perpetuam; multòque minus possit habere Rectoriam principalem illius Ecclesie.* Rebuff. *loc. cit. n. 16.* Laym. *ad cit. c. Michael. n. 4.* Pirh. *ad tit. de fil. presb. n. 40.* Tertio, ut nomine beneficii habiti intelligatur beneficium possessum; Non enim prohibetur filius habere beneficium, cujus tantum titulum v. g. per collationem consecutus erat pater absque possessione. *Garc. p. 7. c. 3. n. 55.* Barb. *de off. Ep. alleg. 65. n. 7.* Pirh. *loc. cit. n. 36.* Quarto, ut nomine beneficii ejusdem non veniat beneficium mutatum v. g. ex portione factum Canonicatus, hoc enim poterit filius immediatè obtinere. *Sanch. loc. cit. n. 2.* Pass. *n. 226.* uti etiam, si patris & filii beneficia sint tenuia; poterit filius utrumque possidere, postquam mortuo patre unita sunt. *Sanch. loc. cit. n. 8.* Lott. *l. 2. q. 48. n. 181.* citans Hostiens. *in c. ex transmissa.* Jo. And. *n. 3.* Abb. *n. 7.* pari siquidem modo, quo persona media impedit oriri speciem hæreditaria successionis, titulus unionis (factæ tamen sine dolo aliquo) eandem speciem oriri non patitur. *Lott. cum cit. AA.* Neque etiam dici debeat idem beneficium, dum in Ecclesia aliqua, in qua præbendæ Canonicales distinctæ non sunt, nec singulis Canonicis certo numero assignatæ, sed reditus ad communem mensam & massam Capituli deferuntur, statim post mortem patris Canonici, nulla persona mediante, defertur filio Canonicatus, cum is jam non vacaverit per mortem parentis. *c. ex parte. de concess. presb.* Host. Abb. Burrio, Laym. apud Pirh. *n. 46.*

3. De reliquo non vetat jus canon. patrem immediatè succedere filio etiam illegitimo, ut dictum supra in eodem beneficio; siquidem materia hæc, cum odiosa sit, non debet à filiis fieri extensio ad parentes. *Jo. And. Abb. Rebuff. Azor, Garc. citati à Pirh. loc. cit. n. 46.* contra Hostiens. Archid. & alios apud Fagn. quibus adhæret *Lott. loc. cit. n. 184.* dicens esse sententiam suam communem DD. non minus probabiliter sustentium contrarium ob paritatem rationis, nimirum quod cum non minus pater filio, quam filius patri succedat in bonis hæreditariis, hæc sit species quadam successionis; jura autem generaliter prohibeant successionem in beneficiis Eccles. Unde etiam in tantum illis consentit *Pirh. num. 45.* in quantum censet, non posse patrem immediatè post mortem filii succedere ei in beneficio, si succedat ei in bonis.

4. Neque etiam vetat quo minus filius legitimus simul cum vivente patre in eadem Ecclesia obtineat simile omnino beneficium. *Lott. loc. cit. n. 181.* (dicens in hoc consentire omnes. & n. 192. dicens filium impetrantem Canonicatum in Ecclesia, in qua pater habet alium Canonicatum, nequidem teneri de hac circumstantia facere mentionem, nisi ei obstat illegitimitas) *Sanch. loc. cit. n. 11.* ex Felin. *Rebuff. quos citat Passer. n. 228.* referens plures alios contra Abb. *in c. cum decorem, de*

fil. presb. num. 1. negantem id quoad beneficium omnino simile.

5. Porro idem, quoad hoc, nimirum quoad succedendum mediatè in beneficio patris jure antiquo etiam poterant filii illegitimi. *c. ex transmissa. & ibi, Abb. n. 5.* Host. *Innoc. Barb. n. 3.* fateturque ipse Clemens VII. in *Const. sua. ad Canonum Conditionem. trigesima. edita Anno 1533.* apud Quarant. *in sum. bullar.* per quam hoc ipsum illis abrogavit: Poterant & mortuo patre esse beneficiati in eadem Ecclesia, in qua fuerat pater & circa hoc Clemens VII. nihil immutavit. *Pass. n. 230.* sed *Trid. sess. 25. c. 15. de reform.*

Questio 283. Num Episcopus in isto Concilio Trid. decreto dispensare possit?

Respondeo negativè. *Abb. Jo. And. Sanch. opusc. l. 2. dub. 17. n. 4.* Barb. *de off. Ep. alleg. 65. n. 30.* *Paxjord. loc. cit. n. 42.*

Questio 284. Quid si ergo Episcopus concesserit filio Presbyteri Capellam vel beneficium, & ad ejus ritulum illum ordinavit, quod pater ejus habuit, vel etiam in Ecclesia, in qua pater ejus ministravit?

Respondeo: si Episcopus hoc fecit scienter, non potest illegitimum removere ab isto beneficio, quin & si amovit, debet illud ei restituere, ut pacificè possideat. Si verò ignoranter id fecit, non debet illum inde amovere, donec de alio beneficio ei sufficienter provideat, sic expressè habetur *c. veniens. de fil. presb.* textus autem hic non est de filio legitimo, ut aliqui volunt, sed de illegitimo, ut plerique, alii *Laym. ad cit. c. n. 1.* *Pirh. de fil. presb. n. 33.* Atque ita hic est casus singularis, & exceptus, in quo illegitimus Presbyteri ab Episcopo ignorante ejus inhabilitatem institutus in beneficio paterno, & ad illius ritulum ordinatus, licet potest illud, etsi invalidè collatum retinere ad tempus, donec aliud ei conferatur, ne cogatur indecorè mendicare. *Rebuff. in praxi. de dispens. super def. nat. n. 79.* *Fagn. in c. veniens. n. 15.* *Pirh. loc. cit. n. 34.* Alter verò quem scienter sic promovit Episcopus, nec ipse ab Episcopo illo (cum is potestatem non habeat dispensandi in *cit. Canone*) removeri debet; sed à Superiore Episcopi, puta metropolitano vel Papa. *c. diversis. de fil. presb.* *Laym. ibid. n. 2.* quamvis in casu istius *c. veniens.* Papa illegitimum illum noluerit amovere, sed ex gratia cum illo dispensavit, ut possit retinere beneficium paternum; idque in odium Episcopi illicitè, & invalidè illum instituentis, & mox illum iterum auctoritate propria removens; vel etiam ne sic promotus aliàs cogereetur mendicare. *Gl. ad cit. c. veniens. v. restitutus.* *Hostiens. ibid. & Fagn. n. 10.*

2. De cetero præscindendo ab illa Episcopi institutione, ubi notorium est illegitimum Clericū in Ecclesia paterna successisse sine dispensatione, à beneficio amoveri debet, & potest, etiam sine processu judicario. *c. quoniam. de fil. presb.* in notoriis enim ordo judicarius non est necessario observandus. *c. manifesta. 2. g. 1.* Etsi in præsentem pater & filius ejus illegitimus in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogendus est filius suum resignare, aut etiam cum alio permutare extra illam Ecclesiam intra tres menses, alias ipso jure eo privatus est, ita decernit *Trid. sess. 25. c. 15.*